

II h
834

DE PACE
EIVSQUE APVD ROMANOS
PRAECIPVE
SIGNIS

DISSERTIT

ET

AD AVDIENDAS ORATIONES
INVITAT

M. GOTTH. IOH. LVD. DIENEMANN.
GYMN. ISL. ILL. RECT.

ISLEBIAE,
PRELO IO. PHIL. HULLMANNI CONSIST.
TYPOGRAPHI.
MDCCLXXXVI.





Acem inter illas res, quae mortalibus amabilem vitam reddunt, principem sibi locum vindicare, vel ii tantum nesciunt, qui bellorum calamitares non sunt experti. Quamquam enim id saepius fateri cogamur, quod vnus ex veteribus eleganter adfirmavit: *pacem esse, factam solitudinem*: tamen haec omnes humanae vitae copias et delicias secum post bella reducit, sine quibus misera esset viuentium conditio, tristissimum eorum, qui acerbiora passi sunt, fatum. Quantas enim bella ciuibus clades inferant, ex eo satis adparet, quod tritum fuit apud antiquos:

Vis illico orbem tollere? tollito pacem.

Quare recte fecisse, pro ingenio suo, putandi sunt veteres, qui pacem inter Diuas referendo, ipsi honores, insignia, aras, templa, et denique signa constituerunt, ex quibus haec exoptatissima, inter caeteras, res posset in publicis monumentis cognosci. Indicabimus ea, et ad temporis et spatii lineam dicenda emetiemur.

Ipsam *pacis* vocem a pactionis conditione dictam putabat olim *Asinius Capito* ap. *Festum de verb. signif.* Lib. XIV, aliis a paciscendo, pacando, quietis pacto, et nescio, a qua voce, derivantibus. Sed, si dicendum, quod res est, hi boni viri fidem non merentur, quum id pro causa inducant, quod non potest non, vt a causa proueniens, considerari. Melius huic voci consulunt, qui a *pangendo* deducunt, quod verbum pango olim *pago* fuisse recte putat *Isc. Perizonius in notis ad Sancti Mineruam*, Lib. IV. c. XIV. p. m. 750. inducente tamen *Meursio ad Aulul. Plauti*, act. III. sc. V. obsoletum *paco, pacere*, quod confirmare ex mea sententia videtur illud in LL. XII. tab. *pacit*, et *pacont* ap. *Lipsium de vet. script. lat. ad fin.* Quod si enim verum est, sicuti est, quod *Sanctius in Min.* ex *Varrone* adducit p. m. 747. *nullam nomen*

an.

antiquitus in duas consonantes desinebat; quum secundum *Priscianum* Lib. VII. p. m. 215. sqb. *vel e vel i inter duas consonantes euceretur: ex paces fit pax.* At enim vero, quum ipsius verbi pango significatio ad pacem translata non satisfaciat; et idem ille Grammaticorum fere parens *Priscianus* Lib. XV. p. m. 532. doceat, voculam pax! *Terentio*, aliisque vsitatam, graecam esse; et *Hesychius ap. Taubmannum ad Plauti mil. glor. act. III. sc. I.* scribat, dici πᾶξ, ἐπὶ τῷ τὸ τέλος ἔχειν, quum teste *Scaligero* aliisque a πᾶνω, *quiesco, cesso*, descendat: nescio, cur nec ipsa vox pacis, de qua loquimur, quum pax finis belli fit, a Graecis ad Latinos transiisse dicenda sit.

Huic paci primum ab Atheniensibus aram consecratam esse, ex *Cornel. Timoth.* c. II. patet, vbi Atticis victoria a Lacedaemoniis reportata tantae fuit laetitiae, *vt tum primum PACI publicae sint arae factae, ei que Deae pulvinaris institutum.* Graecorum in hac re, sicuti in aliis, vestigia prefferunt Romani, apud quos et aram pacis fuisse, luculentissime probatur ex *Neronis nummo*, in quo haec ipsa ara cernitur, cum expressa inscriptione: *ARA PACIS*; et ex alio *Tiberii*, vt vult *du Choul dans la religion des anciens Romains* p. 14. nisi ibi malis templum Iani in imagine esse, quum conueniat cum illo, qui est ap. *Massonum in templo Iani reuerato* p. cxi. Immo vero *Paci* deinde *Vespasianus* templum prope forum exstruxit teste *Plinio* H. N. Lib. XXXVI. c. 15. T. III. p. m. 400. et *Suet. in Vesp.* c. 9. in quo erant vasa sacra templi Hierosolymitani, vt indicat *Nicupoori in ant. rom.* p. 320. ed. Trai. 1734. et aliae res pretiosissimae, vt colligitur ex *Plin. H. N. XXXV. 10. XXXVI. 7.*

Imaginem Pacis, quae in nummis, annulis, gemmis, caeterisque monumentis conspicitur, quod attinet, muliebri forma pingebatur, cum cornu copiae, spicis, ramo oleae, caduceo, aliisque adiectis concordiae et signis et fructibus, vti in pluribus locis cernitur ap. *du Choul*. Depingit ipse *Tibullus* Lib. I. el XI. 67. 68.

At nobis Pax alma redi, spicamque teneto,
Perpluat et pomis candidus ante sinus.

quam ipsam imaginem refert inter alios nummus ap. *Carpzonium de quiete DEI* p. 41. Cornu copiae addebant, ad designandos pacis vberriimos fructus, quum opes et diuitias reducat et alat, vt exinde pax ipsa Plutonis, DEI diuitiarum nutrix purata sit, quod ex *Pausania* refert *Nat. Comes* mythol. L. II. c. VIII. p. m. 177. Ipse *Seneca Medae* act. I. p. m. 473. ex ed. praestant. *Schroederi Delph.* 1728. pacem describens, ita canit:

Pax,
Quae cornu retinet diuite copiam,
Donetur tenera, mitior hostia.

quam descriptionem nummis confirmat *Gronovius* ad h. l. vbi cornu copiae sub imagine pacis sistitur. Similiter ap. *Horatium in carm. Saec.* 59. 60. iungitur paci

beata pleno
Copia cornu.

Quum autem a *Seneca* l. c. *pax mitior donetur tenera hostia*, re-cre notat *Delrius*, ipsi ouem, extra huius tamen Deae conspectum mactatam esse, cuius aram non licebat sanguine spargere, vt probat ex *Aristophane*, *in pace*. Reliqua pacis insignia declarabuntur inferius.

Hic tamen, vt melius procedat tractationis nostrae ratio, praenotasse in rem nostram sufficiat, in signorum pacis euolutione, notabile discrimen inter pacem priuatam et publicam, quae posterior vel particularis vel vniuersalis erat, ad prime esse attendendum. Singulis enim his pacis modis sua peculiaria fere signa dedit antiquitas.

Non immorabor variis apud varias gentes pacem per signa petendi modis, quales erant: capita scutis subdere, arma tradere, dextris exsertis et manibus sublatis incedere, herbam dare, digitum aut manum exferere, &c. quos habet *Alex. ab Alex. gen. Di-cr.* IV, c. 7. et Lib. II, c. 19. vbi vide, quae notauit *Tiraquellus* et *Mer-*

Mercerus Lugd. 1673. Hoc tantum noto, egregie fallere et falli plurimos, neque ineruditos viros, qui signa publicae pacis faciunt inter caetera 1) *donatium*, militibus datum, quum hoc libertatis imperatoriae tantum signum esset, et post omnes fere partim victorias distribueretur, partim sub auspiciis noui imperatoris, quod in exemplo Traiani, haud facta pacis mentione inducit *Plinius* paneg. c. xxv. Conferantur et loca collecta a *Kiesewettero de re mil. vet.* p. 250, sqb: 2) *Imperatoris titulum*, qui saepius tamen, quum ad exercitum irent, vel victoriam deportassent, imponebatur: 3) *triumphos et victorias*, quod aperte refutatur ex discrimine *victoriae*, et *victoriae paciferae* ap. *Gorlaeum in annulis* n. XII. ex ed. *Gronouii*. 4) *pomoerii ampliationem*, quae saepius tamen facta est, nulla pace sancita, vt confirmat *Maffon* lib. cit. sect. IV. c. 2.

Alia adsunt, eaque certiora publicae pacis signa, quae, praemisfis quibusdam priuatae pacis significationibus, quae deinde ad publicam quoque saepius indicandam adhibitae sunt, inferius producemus.

I. Primum signum priuatae potissimum pacis et concordiae est notissimum illud apud Romanos tam, quam etiam primos Christianos *osculum pacis*. Non finit hic genius meus, aliorum serinia compilare, quum plena manu et satura lance id omne, quod ad hoc pertinere videtur, exhibeat *Pet. Muller de osculo sancto* c. I. Ad dam post mille loca, ab aliis citata, illum ap. *Peiron. sat.* p. m. 136. ed. *Wechel*: *praeterita osculis aboleri placet et 117. En! osculo iram finio*; ex quibus locis abunde euincitur, fuisse *osculum* signum pacis et instauratae concordiae. Vnde explicanda illa veterum sententia: *Odia alia sub vultu, alia sub osculo latent*, in *Sen. et Publ. Syri sententiis* ex ed. *Hauerkampii*, Lugd. 1708. Fuisse et osculum, pacis publicae ap. Germanos notam, colligere licet ex *Spangenbergii annual. Mansf.* p. 198. b. vbi haec leguntur: quum anno 1074 pax constituta esset, Saxones apud Henricum frequentes conueniunt, a quo, *vti moris erat, osculo humanissime sunt excepti.*

II. Alter modus et amicitiae iungendae et renouandae is erat, qui etiam nunc viget, *vbi iunguntur dextrae*. Dextram enim, veluti fidei sedem, vt credebat bona antiquitas, in ipsa amicitia et pace confirmanda recre adhibuerunt, ex quo ritu ipsum illud prouerbum enatum est, quod habet *Erasm. op. mai. adag.* p. m. 108: *Ne cuius dextram inieceris* i. e. ne cum quouis iungas amicitiam. Ipsam autem hanc consuetudinem confirmat *Barthius in comment. ad Stat.* Tom. II. p. 160. 343, *Seruius ad Aen. Virg.* L. I. 412. et L. III. 611. ex ed. *Masuii*; et *Delrius ad Sen. Med. act.* II. 248: vberius autem *Tiraquellus ad Alex. ab Alex.* L. II. c. 19. Qui omnes, licet rem, quam diximus, exemplis egregiis comprobent, tamen veritatis firmissimum praesidium nanciscuntur ex nummis, aliisque moris antiqui certissimis testibus. En! dextras datas cum cornu copiae, et caduceo, veluti signa pacis et concordiae, quae abundantiam gignit, habes ap. *Gorlaeum in annulis* Tom. I. n. 43. 94. 109, et *in gemmis* Tom. II. n. 76. 112. 183. & 333. in quibus plurimis addita saepius est olea, spica, et papauer. De olea mox dicemus. Spicas fuisse insigne pacis, quae laetas faciat segetes, supra probauimus ex *Tibullo*. Vltimum a quibusdam propomo accipitur ex eodem *Tibulli* loco. Sed forma repugnat. Mallem ego *papauer*, cui *vis soporifera* adscribitur, vnde et *Ouidius Fast.* L. III. 661. nocti tribuit, dum canit:

Interea *placidam* redimita *papauere* frontem
Nox venit, et secum somnia nigra trahit.
Quis ergo hoc ipsam quietis et pacis signum esse posse dubitet? Neque vero et ego conuenientiore *abundantiae*, quam pax gignit, imaginem ex natura euincere scirem, quum *papauer* semen multiplicatum, et ad stuporem numerosum reddat. Vides rationes, quae mihi pro *papauere*, pacis nota, pugnare videntur. Iunctas autem dextras pacem, nec aliud designare, euidentissime probatur ex nummo Augusti, in quo dextrae datae cum inscriptione: PAX, ap. *du Choul* p. 16. Similes sunt p. 22. 23. 28. 30. 32. 33. Quare et publicae pacis hoc solet esse documentum, vbi imperatores, vel

ε Δ

sig. mi.



milites sibi inuicem dextram dantes, cum papaueris saepe capite,
superius adscripto, videas, vti plures sunt imagines ap. autores a
nobis ante adductos. Idem mos valuit apud Germanos, vti *Span-*
genbergius annual. Manff. p. 110. in exemplo *Henrici Auc. et Ar-*
nolphii probat, vbi inquit: Dextrasiungentes, pacem restituebant.

III. Progredior ad *oleam*, pacis et quietis, publicae praeser-
tim, indicem; quae *pacalis* exinde, *felix*, *pacifera* dicitur ap.
Virgil. aliosque, quos adducit *Woverius ad Petron.* p. m. 449.
Hac vti igitur in coronis non solebant ii, qui in praelio fuerant, vt
probatur, in notis ad eund, sat. p. 65. Haec, si protenderetur, signum
pacis et concordiae erat, quod ex exemplo Triphenae ap. Petr. p.
135. constat, quae ramum oleae a tutela nauigii raptum proten-
dit, ad *finendam discordiam*. Videntur mihi ipsi rami oleae, nau-
tibus superimpositi, tutela nauis in hoc *Petronii* loco esse, quum
olea, signum pacis, tueatur nauem ab aliarum nauium hostili incur-
su et impetu; quidquid ad hunc locum proferant interpretes. *Olea*
enim et *laurus*, si vel inter armatos hostes protenderentur, quie-
tis erant indicium, vti recte loquitur *Perottus cornu cop.* p. 619.
Similis lauro fors et vis erat, quae oleae. Illa addebatur post vi-
ctoriam et pacem saepius litteris, vt coniicitur ex *Plinii paneg.* c.
8, et militum lanceis, et pilis, et fascibus imperatorum, vti pluribus
exsequitur *Nicolai de triumphis* p. m. 71. 183. — 187; *Mart.*
de Guichardo de antiquis triumphis p. 170. et al. Causa, cur haec
arbores potissimum pacis testes fuerint, illa est, quod perpetuo vi-
rent; quum pacem ipsi Romani semper sponderent perpetuam, vti
ex nummo, superius ex *Massono*, ad confutationem *du Choul* ad-
ducto, cuius inscriptio est PAC. PERP. pater, et ex formula pacis
inter Latinos et Romanos ap. *Dion. Halic.* p. m. 619: *vt pax sit,*
dum coelum et terra eandem stationem obtinerent, et p. 529. *in o-*
mne futurum tempus. Scio, alias rationes a *Perotto* l. c. aliisque
adduci; sed illas nec ipsi rei, nec mihi facere satis ingenue fateor,
Singularis tamen est opinio *Pietri Valeriani in Hierogl.* p. m.
659. qui hunc oleae in pace declaranda vsum a columba Noachi
de-

deducit; quam rationem, tantum adest, vt plane reiiciam, vt potius adductae rationi eam adponi, si placet, facile patiar. Hinc ipsa haec olea vel sola pingitur in nummis, &c. ad pacem significandam, vel aliis pacis insignibus additur, vt patet ex nummis, quos adduximus ad n. 2.

IV. Sequitur *caduceus*, Κηρυξ erat ὁ ὑπὲρ εἰρήνης ἀποστέλλόμενος, vt ex antiquis probat *Wouuvern ad Petr.* p. 449. Huius infige-
rat *κηρυκίων*, quod est Romanorum caduceus, vt recte obseruat *Colerus ad Alex.* T. II. p. 27. Inde Mercurio, tanquam nuntio et interpreti Deorum tribuitur. Bacillus erat cum duobus serpenti-
bus, nodo veluti copulatis, et saepissime in suprema parte se-
mutuo adspicientibus, vti imaginem habes ap. *Lud. Smid* in ta-
bulis *Dict. Cret.* adiectis n. 16. ex ed. *Annae Daceriae in vs. Delph.* Amst. 1702. Originem formae describit ipse *Plinius H.* N. XXVIII. 3. et ex eo *Reusch. ad thes. Ebermayer.* n. 409. p.m. 197. et *Pier. Valer. hier.* p. 187. 188. aliter tamen, neque inepte *Pluche dans l'histoire du ciel.* T. I. p. 337. Vnica et optima mi-
hi ratio esse videtur, quod serpentes essent apud veteres signa
salutis et vitae, quae cum caduceatoribus, pacem indicantibus
redit veluti ad tristes belli casibus populos. Rationem huius rei,
cur serpentes signa vitae et salutis sint, habes ap. *Begerum de
nummis Cretensium serpenti feris.* Berol. 1702. et ap. *Pluche T.*
I. p. 70. Quum igitur caduceatores praekoncs pacis fuerint, re-
cte caduceus ponitur signum pacis esse; quod confirmat illud:
Hastam cum caduceo mittere, i. e. optionem vel belli vel pacis
dare; excitatum a *Gellio* L. x. c. 27: ad quod bene respexit *Gro-
nouius in expl. annulor. Gorlaei* n. 23. Rationem huius locutio-
nis adfert ex ipso *Gellio* *Erasm. op. mai.* p. 140. 141. aliam ta-
men ex *Macrobio*, *Pet Mosellanus* ad loc. *Gellii* citatum. Vsi-
tatum autem fuisse Romanis caduceum, veluti signum pacis,
probabunt tibi nummi Domitiani, Vespasiani, et Titi ap. *du
Choul* p. 13, 152, 153. Alius erat aliarum gentium mos, quum
e. g.

e. g. Carthaginenses et Siculi pacem per tubicinem indicerent, notante *Alex. Neap.* p. 26. quorsum referenda videtur imago tubicinis cum lauro prope aram ap. *Gort. in gemmis, Dactyloib. T. II. n. 478. 546*, licet in alia omnia abeat *Gronovius*.

V. Post caduceatores nunc prodeant *Feciales*, qui secundum *Ciceronem de Legibus Lib. II. c. 9.* ex lege antiqua: *foederum, pacis, belli, induciarum iudices erant*. Hi, sicuti ad eos mittebantur, quibus bellum indicendum erat, ut ipsa hac mora, antequam in ipsorum fines irruerent, fierent animi veluti leniores, uti putat *Erasm.* adag. p. 1405. ita quoque pacem et foedera faciebant. Prius, ubi indiciebant bellum, fiebat hasta, sanguine tincta, et in fines hostium proiecta; posteriori autem vel porco, vel porca, silice discussa, et formula quadam solenni recitata, quam ex *Liui*o integram habet, sicuti reliqua, ad *Feciales* pertinentia *Wagner* de *Fecialibus. Helmsb.* 1734. p. 100. Foedus faciebant, quod veluti fides est, quoniam foedere fides restituitur, ut docet *Varro de LL.* p. m. 1130. edit. *Perotti*: et pacem his ipsis ritibus reducebant; ut adeo, si in nummis, aliisque veteris aevi testimoniis operantes inveniuntur, indubitato sint pacis signo. Habes inter caeteras, aliis notas, hanc effigiem ap. *Lud. Smid. ad Dict. Cret. n. x.* et *Wagner. l. c.* Hic mos sine dubio, sicuti pleraque alia, a Iudaeis fluxit ad Romanos; quemadmodum liquido adparet ex *Genes. XV. 9---17. Ierem. XXXIV. 18.* Qua autem autoritate fuerunt in pace constituenta *Feciales* apud Romanos, ea et vti sunt *Druidae* ap. Germanos, uti testatur *Schedius de DIS Germanorum* p. m. 296. ed. rar. Amst. 1648. quos *Druidas* qui propius nosse cupit, euoluat *Irhouium de palingenesia veterum* L. II. c. VI. p. 300. Quod *Feciales* sanguine porci vel porcae fecerunt, alii humano perpetrarunt. Cui ignotum illud de *Catilina*? qui, ut socios suos fortius constringeret, humanum sanguinem vino mixtum circumtulit, ut inter se magis fidi forent. vid. *Sall. Catil. c. XXII.* ibique *Cortium*. De Germanis et Scythis res in aprico est. Ita enim de illis *Pomp. Mela* L. II. c. I. ex ed. *Gron*: *Ne foedera quidem apud illos incruenta sunt. Sauciant se, qui pacificuntur, exemptumque (quid si exceptumque legeres?) sanguinem, ubi permiscuere, degustant. Id putant mansurae fidei pignus certissimum.*

VI. Sicuti sagum belli, ita *roga* pacis signum fuit. Quis nescit illud *Ciceronis* de officiis L. I. c. XXIII. *Cedant arma rogae?* Sub-

B

iun-

iungit: nonne nostro tempore cesserunt arma togae? neque enim vnquam in republica fuit *periculum* grauius, et maius *otium*. Quare togati sunt imperatores, foedus vel pacem iunctis dextris confirmantes, in gemmis, et nummis pluribus ap. autores excitatos.

VII. Dimissum exercitum firmissimum pacis factae documentum fuisse, vel ex sexcentis autorum locis potest euinci. Hinc *Caesar Pompeio* pacem offerens, spondet, se triduo proximo exercitum dimissurum. *Caes. b. l. ciu. III. c. 10.* Hinc ap. *Dion. Hal. p. m. 168.* post pacem cum Sabinis, copiae domum redierunt. vide et *Liu. Lib. XXX. c. 43.* et *Kiesewetter. de re mil. Vet. P. 557.*

VIII. *Legibus, et pacis conditionibus publice affixis* pacem quoque indictam esse constat. Verbum, quo in his legibus utebantur Graeci, erat *ἀπαρτίσις*, vel locutio *ἀπὸ συνθηματικῶν*, vti elegantissime partim probat, partim, ipsos Athenienses iureiurando se ad pacem obstrinxisse euincit *Lipsius Var. lect. Lib. II. c. 15.* Vera haec esse, probari satis potest ex *Nep. in Thrasyb. c. 3.* vbi Thrasybulus recuperata pace *legem obliuionis* tulit. Conueniunt, quae habet de Romanis *Dion. Halic. p. m. 531*: omnem *memoriam iniuriarum* post pacem esse deponendam. Pacis leges et conditiones ipsae recitabantur a Fecialibus, quae monumenta deinde in sacris locis conseruabantur. Prius patet ex ipsa formula solenni a Fecialibus recitata ap. *Liu*: posterius autem quod attinet, habes exemplum scriptae pacis. in aedes Iouis Fidiis f. Fidiis delatae in hist. Tarquin. ap. *Dion. Hal. L. IV. c. 7.* et VI. c. 12. ex quo vltimo loco adparet, ferias quoque post pacem fuisse decretas. Is Iupiter Fidius non confundendus est cum Sanco, Deo Fidio, vti fecit *Tiraq. ad Alex. T. II. p. 24. 25.* quum haec nomina Herculis sint, vt ex *Propertio Lib. III. el. 9. v. 73. 74.* quilibet potest discere. conf. *Ouid. Fast. L. VI. 213.* Vberius probat *Kippingius in ant. rom. p. 98. 99.* ed. Lugd. 1713.

Restant pacis vniuersalis signa, quorum duo prae caeteris notanda.

IX. Vel enim in nummis &c. sistebatur *globus, vel terram vel coelum referens*, (vtriusque enim exempla adsunt) cum lauri vel oleae ramis, qualis est is ap. *Pomp. Melam ex ed. Gron. p. 5.* cum inscri-

scriptione: PAX ORBIS TERRARVM, quem et protulit *Masson*
p. 97. vel.

X. Iani templum claudebatur, clausumque in nummis, ad posteritatis memoriam signabatur. Hoc, vti rarissimum, ita certissimum pacis vniuersalis indicium fuit. Iano enim, qui temporis, et euentum in tempore DEVS, et custos pacis fuit, uti dicitur ab *Horatio Epist. L. II. ep. I. 250.* templum Numa exstruxerat, quod *pacis, bellique argumento* colebatur, teste *Plinio H. N. Lib. XXXIV. c. 7.* Sicuti enim caetera templa vel mane a sacerdotibus recludebantur, claudebantur vesperi, vt ex exemplo templi Isidis duce *Tibullo L. I. el. 3.* notat *Masson* p. 79. vel certis tantum diebus aperiebantur; ita e contrario hoc Iani templum belli tempore continuo patens, sub pace demum claudebatur. Ipse consul in bello inferendo referabat, indice *Virgil. Lib. VII. Aen. 601.* post bella, in pacis vniuersalis indicium, ipse claudebat. conf. *Masson sect. III. c. I.* Hinc *Quidius Fast. I. v. 130.* dicitur *Patulcius et Clusius* a patendo et claudendo, vbi Ianus inducitur, ita loquens:

---- Patulcius idem

Idem ego sacifico Clusius ore vocor.

Mallem ex praecedentibus legere: *pacifico*. Adde de his nominibus *Iul. Aur. Lessigniensem de Deorum gent. cognominibus. Franck. 1696. p. 149.* et *Picorium Vill. in Theol. mythol. ib. eod. p. 10. 13.* Iani clausi Ianuae claustris et seris continebantur, vnde intelligendus *Horat. l. paullo ante cit.* vbi dicit, Ianum claustris cohiberi; et *Quidius Fast. L. I. 124.* vbi ex editione *Cnippingii, Walchii*, aliorumque legitur:

Ni teneant rigidae condita bella serae.

Falsam esse lectionem, et locum in mendo cubare, quis non videt? Lege *serae*, et concidet omnis error. Fuisse autem Ianum clausum pacis vniuersalis indicium, recte quidem colligitur ex *Virgil. Aen. I. 295.* *Quid. Lib. ex Ponto el. 3.* et *Suet. Aug. c. 22*; euidentissime tamen ex nummis plurimis ap. *Masson*, et alios, vbi additur: PACE MARI TERRAQVE PARTA, vel PACE VBIQVE PARTA IANVM CLVSIT. vt ap. *du Cboul.* in nummis *Neronis* p. 17. quos et inducit *Pier. Valerianus Hi-rogl. p. m. 624.*

B 2

Haec

x 366 m 22

FK
TH

834

VD 18

Haec sufficiant, Plura, fateor, dicenda fuissent: sed quis omnia? Meta adest; recedo. Ad id deueniendum est, cuius gratia haec scripsi. Graulatur sibi Saxonia pacem recuperatam; Saxoniae quidam ex meis gratulabuntur. Satis fuit caedis et infortunii! Nunc verba *Camerarii Cent. I. embl. 14.* nostra faciamus:

Dure faceffe ligo! validae procul este bipennes!

Frondeataeternos pacis oliua dies.

Videte ordinem iuuenum, qui Vestram LECTORES! et praesentiam et fauorem, me interprete, sibi expetunt.

I. *Ioh. Gottl. Lange.* Ihlewiz, Mansf, praus huius faeculi mores, et belli et omnis infortunii fontes, deflebit carm. lat. eleg.

II. *Fried. Iul. Car. Neubauer,* Brandenb, ipsam in Saxoniam irruptionem describet carm. germ.

III. *Ioh. Wilh. Winne,* Isleb, leuiores per Saxoniam praelia depinget, carm. germ. mixt.

IV. *Ioh. Ge. Hirsch,* Mansf. Albim, Saxoniae fata gementem inducet, carm. lat. heroico.

V. *Ioh. Fried. Schierholz* Isleb, pugnam cruentam prope Dresdam adumbrabit, vers. germ.

VI. *Marc. Aug. Traug. Voigtel,* Isleb, pacem post clades restitutam Saxoniae gratulabitur, oda lat. Sapph.

VII. *Car. Gottfr. Agricola,* Belenst. Mansf. pacem Germaniae et Europae aeternam adprecatur, od. germ.

Ad quos audiendos vt frequentes confluatis, Vos omnes, quorum interest, etiam atque etiam rogo.



II h
834

DE PACE
EIVSQUE APVD ROMANOS
PRAECIPVE
SIGNIS



RIT

SORATIONES
CAT
D. DIENEMANN.
ILL. RECT.

IAE,
LMANNI CONSIST.
RAPHI.

UNIVERSITÄTSALE
BIBLIOTHEK

BIBLIOTHECA
PONICKAVLANA

